

31

Agror. Gracchanas, & Sillanas limitationes, Gracchanas, & Sillanos limites, & lapides conjunctim memorat: Frontinus quoque de Colon. Nolanum agrum limitibus Sullanis, Tusculanum Mensurâ Sullanâ assignatos scribit. M. Luculli ætas apprimè convenit; quum enim Ædilitatem is gefferit Anno U. C. DCLXXV. P. Servilio, Ap. Claudio Coss. ut ex Plinio lib. VIII. Cap. 7. constat, quam magnificentissimam fuisse lib. II. cap. 16. de Offic. Cicero scribit; apparet Sulla Dictatore, ut terminos hos Proprætore restituendos curaret; idoneum fuisse. Accedit, quod probabilem Sulla Dictator habuit causam, cur id per Senatam jusserit, quum enim militarem Coloniam Pisaurum deduceret, ut suo loco demonstrabimus, necesse erat perticæ fines definire, ut accommodatior agri divisio fieret.

M. TERENCEIUS VARRO LVCVLL. Exposito Inscriptionis pretio, quædam etiam notanda sunt ad uberiores illius explicationem, de celeberrimis Viris, qui in eadem memorantur, quique Romanæ Historiæ Principes jure appellari possunt. M. Terentius Varro Lucullus ex Liciniâ gente fuit, in Terentiam Varronum familiam adoptatus: L. Luculli clarissimi illius viri, sive frater, ut Cicero, & Plutarchus tradunt, sive patruelis, ut Eutropius: Sullæ Imperatoris Quæstor feliciter ad Fidentiam pugnavit; Ædilis cum Lucullo fratre fuit; Prætor Peregrinus beneficio legis Sullanæ, quâ iis, qui suas partes fovissent, Magistratus continuatos gerere permisit, fortasse anno sequenti, quo Sulla decessit, ut ex Aſconio conjicere haud temere possumus: scribit is in Orationem in Togâ Candid. ad M. Lucillum Prætorem, qui jus inter Peregrinos dicebat, in jus adductum a Græcis C. Antonium, quod is multos in Achajâ spoliaverat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. Consul cum C. Cassio Varo A. U. C. DCLXXXI. anno post L. fratrem. Macedoniam Provinciam Proconsul obtinuit: de Bessis triumphavit: paullo post L. fratrem decessit, ut author est Plutarchus in Vit. L. Luculli V. Augustin. de Famil. Roman. Richar. Strheinn. de Fam. R. Corrad. in Ciccer. Brut.

P. LICINIUS. P. Licinius Craſſus Mucianus, P. Mucii Scævola filius, in Liciniam gentem a P. Licinio divite adoptatus, Pontifex Max. Anno DCXXII. in locum P. Cornelii Naficæ cooptatus, anno sequenti Consulatum cum L. Valerio Flacco Flamine Martiali gessit. Proconsul contra Aristonicum bellum